



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

57. Mathem. Regij infensi Riccio placantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

tias traderet; sed eò tendere, vt extirpatis religionibus Sinarum falsis, substitueret suam; cogitatum hoc suum aliquando ingenuè illi aperuit, multumque hortatus vt pergeret, negavit superstitiones conuelli fortius potuisse quàm præsidio naturalium doctrinarum. Oscianorum enim antistites & Taoistorum, præter Theologica placita quibus suos sequaces tanquam oraculis obligarunt, inseruisse suis libris, de Philosophia naturæ, falsa palam, & deridicula; de solis ortu, occubitu, defectu; Holoano Deo solem dextra regente; sinistra luam; & istiusmodi deliria stolidæ; in quibus mediocri studio atque ingenio capiendis, cum tam stolidè, turpiter & mendaciter errasse conuincantur; facile aiebat in diuinis ab sensu longius, vsuque hominum semotis multo ineprius, stultius, & periculosiùs errasse; quibus nihilominus volumina implerunt innumera, tam partim insulsis, incredibilibus, insanis; partim etiam fœdis, vt nullus validè insanians ægrotus tam aliena fingat & pernitiiosa: quod rectè ab illo prospectum Riccius asserit, illòsque errorum, & ignorantia in Philosophicis damnatos; auctoritate omni fidèque in diuinis cum inexpiabili rubore excidisse. Sed inter communes Doctorum plausus, vni dolebant Mathematici regij, & quòd aliud nequiter, peruerso aspectu, & ira oculorum vlciscebantur vt competitorum honoris sui, & lucri Riccium. Dixi aliàs horum munus, in quo inter cœtera, de futuris luminum maiorum deliquiis cum enormiter exerrarint; iurati negant artis esse, aut negligentia errorum; sed cœli arcæanum, prænuntiantis nescio quid noui, tarditate insolita consueti cursus, aut celeritate; quid autem illud? fortunatum an secus? diuinandum relinquunt: at enim hos sibi à Riccio valdè metuentes, sedarunt eius discipuli; nempe illum tanti apud suos fuisse, vt non essent illi transmittenda tot vasta maria, ad emendicandum ab Sinis tantulum id fumi & lucelli, cuius metu perdendi angebantur: hic non ægrè placati, honoris gratia Riccium adire, nunquam tamen eò adducti sunt vt vellent quicquam ex illo discere, gentis, opinor, verecundati probum, si Regis Archiastronomi, aduenæ vnus discipuli fierent. Plus fuit negotij tractanda cum Ethnicis pace, quorum geminas sectas exagitauebat, ipsisque illarum ex auctoribus, & Magistris, mendaces probauerat: non potuit ea res Ligiucinum latere, annorum septuaginta Mandariannæ, multis olim regendis vr̄ibus Præfectam, quodque iuris & officij lex poscebat Confusio obstructum; sed hæc æui lex melioris, processu annorum, decentia cuiusdam nomen acceperat; degenerauitque tandem in arbitriam doctrinam; multique inter Literatos etiam Confusium profiterentur in Philosophicis; in diuinis idola sectabantur, & de illorum erroribus, quod cuique libuerat adamarat: horum vnus fuit Ligiucinus, numerosæ scholæ nominatissimus academus & accessione continua crescentis; cui tunc per ætatem impar, nisi stas solum in mense diebus in auditorium non proqibat. Auebat autem is, & nosse Riccium, de quo multa cum laude mira; in dies maiora ferebantur; &

A a

57.  
Mathem. Regij  
infecti  
Riccio placantur.

58.  
Cum idolol.  
Literato solenne  
colloquium.